De tunica quadam oculi novissime detecta et quibusdam tumoribus scirrhosis resolutis / [Balthasar Abraham Stier].

Contributors

Stier, Balthasar Abraham.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburg : Ex Officina Hendeliana, [1759]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/w9ccxe2j

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Lt. B
T 880.9

DE

TVNICA QVADAM OCVLI NOVISSIME DETECTA ET QVIBVSDAM TVMORIBVS SCIRRHOSIS RESOLVTIS

AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV

PRAESIDE

PRO-RECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

AD D. III. IVLII, A. S. R. CIↃIↃCCLIX.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

BALTHASAR ABRAHAM STIER
GVRAVIA - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRG. EX OFFICINA HENDELIANA.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

VIRO ILLVSTRI,
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

CAROL. FRID. KALTSCHMIEDIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI,
SERENISSIMAE DOMVS SAXO-VINARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIAR. CAMERAL. INTIMO, SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENB. CVLMBAC. ET SERENISS. LANDGR. HASSO-DARMSTAD. CONSIL. AVLICO ET MEDICO, ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. IN CELEBERRIMA IENENSI ACADEMIA PROF. PVBL. ORDIN. COMITI PALAT. CAESAR. ACADEMIARVM, LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOS. COLLEGAE, CAESAR. AVGVSTAN. CONSILIARIO, ET ELECTOR. MOGVNT. SCIENT. VTIL. ASSESSORI, FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO ET SENIORI SPECTABILI, SOCIET. ELEGANT. ET SVBLIM. SCIENT. TEVTON. IENENS. INSPECTORI, ITEMQVE PHYSICO PROVINCIALI IENENSI CELEBERRIMO,

NEC NON
VIRO
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
CLARISSIMO,

IOANNI FRIDERICO FASELIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI,
ET IN CELEBERRIMA IENENSI ACADEMIA MEDICINAE PROFESSORI ORDINARIO,

VIRIS,
DOCTRINAE ATQVE ERVDITIONIS AFFLVENTIA
MERITORVMQVE
IN REM MEDICAM ET OMNEM REMPVBLICAM
LITERARIAM LONGE SPECTATISSIMIS,

PATRONIS SVIS OPTIMIS,
PRAECEPTORIBVS
OMNI PIETATE AD CINERES VSQVE COLENDIS, PROSEQVENDIS,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN MONVMENTVM
ANIMI DEVOTISSIMI,
AC PRO TOT INSIGNIBVS IN SE COLLATIS
BENEFICIIS GRATISSIMI,
CVM VOTIS
PRO PERENNI EORVNDEM SALVTE ARDENTISSIMIS

D. D. D.

SPLENDIDISSIMORVM AC SVMME DEVENERANDORVM
HORVM NOMINVM

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR
BALTHASAR ABRAHAM STIER.

DISSERTATIO INAVGVRALIS ANATOMICO-CHIRVRGICA
SISTENS PARTIM

TVNICAM QVANDAM OCVLI NOVISSIME DETECTAM,

PARTIM

TVMORES SCIRRHOSOS VARIOS RESOLVTOS.

PROOEMIVM.

Microcosmi ſtructuram artificioſiſſimam examinare, atque ex eadem actiones ſingularium machinae huius partium explicare, ſat ardua ſane res eſt. Siſtas mihi, beneuole Lector, Anatomicum ab omni parte abſolutum, & ſane illum virium humanarum imbecillitatem in examinanda corporis humani ſtructura ſtatim profiteri audies. Vbi ſunt Phyſiologorum hodie celeberrimi, quaeuis in corpore humano phaenomena occurrentia explicaturi? Quod cum ita ſe habeat,

beat, & ego tantis Viris longe inferior ſim, liceat mihi pace tua, beneuole Lector, tam propriam meam imbecillitatem, quam etiam anguſtum nimis temporis ſpatium iam accuſare, quae impedimento fuere, quo minus in praeſenti vnicum modo thema, vti alias fieri ſolet, debite explanatum omnibusque numeris abſolutum exhibere potuerim. Inde factum eſt, vt apud me conſtituerim duo eligere themata diuerſa, alio quodam opportuniori tempore fuſius atque ſolide magis elaboranda. Quum enim, ad oculi humani ſtructuram anatomice examinandam, pariter ac tumorum quorundam ſcirrhoſorum reſolutionem tentandam, occaſio quondam mihi ſeſe offerebat, non incongruum mihi videbatur, haecce aliquando pro Diſſertatione inaugurali eligere themata, quae etiam paulo prolixius exaraſſem, ſin modo experimenta, pro vlterius indagandis hisce ſumme neceſſaria, iam ſuppeterent. Interim tamen confido, beneuolum lectorem mihi, exactiorem talem perueſtigationem atque dilucidationem certiſſime promittenti, aequum iudicium non eſſe denegaturum. Faxit modo diuina clementia, vt omnia cedant feliciter.

SECTIO

SECTIO I.

DE TVNICA QVADAM OCVLI NOVISSIME DETECTA.

§. I.

Organon visus summi creatoris sapientiam luculenter satis testari, & nobilissimum pariter ac artificiosissimum organorum sensoriorum, vna cum organo auditus, constituere, quis est, qui neget? Quum vero artificiosissimam organi huius structuram Anatomia subtilior doceat, hincque eadem, ob vsum, quem praestat, eximium, summo iure defendenda sit, non dubito fore, quin beneuole permittant Viri in scientia anatomica pariter ac medica hodie illustres, nouam quandam oculi tunicam in lucem proferre, deque eiusdem natura pro viribus, quas tamen sentio admodum esse exiguas, disserere. Fretus itaque Virorum, in arte generi humano summe salutari celeberrimorum, indulgentia, diuinaque suffultus clementia, missis ambagibus, rem pertractandam eo maiori animi alacritate aggredior.

§. II.

Variae sunt partes, oculi humani machinam constituentes, quas vero, vnicuique Anatomicorum satis cognitas, hic recensere animus non est. Omissis ergo omittendis, tunicas modo sic dictas oculi humani recensere, iisdemque nouam nostram tunicam

cam adiicere placet. Numerum tunicarum oculi respicientibus abunde iam constat, nouem earum ab Anatomicis magni nominis adsumtas fuisse, quarum prima, externa, globum oculi cum orbita coniungens, *adnata* seu *coniunctiua*, altera, priori proxime adiacens, maximamque bulbi oculi partem constituens, *sclerotica*, tertia, seu pars anterior scleroticae pellucida, *cornea*, siue *sclerotica transparens*, quarta, interior, *choroidea*, quinta, seu pars anterior choroideae, *uvea*, sexta, seu superficies vel lamella interna choroideae, *Ruyschiana*, septima *retina*, octaua, humorem vitreum includens, *tunica vitrea*, & nona denique, humorem crystallinum inuoluens, *tunica crystallina* adpellata fuit.

§. III.

Sunt tamen quidam Anatomicorum hodie celeberrimorum, quibus octo tantum oculi tunicas statuere placuit, tunicam illam vasculosam, seu *Ruyschianam*, ab inuentore ita dictam, reiicientes. In censum hic venit vir in arte anatomica summe exercitatus, ALBINVS, Anatomicorum facile princeps, qui hanc solummodo ob rationem tunicae Ruyschianae existentiam negat, quoniam ea non nisi summo studio ac attentione a choroidea separari posset. Permittat autem Vir magni nominis exempli in locum allegare tunicas illas diuersas ventriculi & intestinorum. Has non nisi summa diligentia a se inuicem separari posse, quis est, qui ignorat? Nihilo minus tamen omnes hodie Anatomici vno ore consentiunt, easdem vere existere, earundemque existentiam

ſtentiam in theatris anatomicis diſtincte ſatis demonſtrant, ex quarum praeſentia atque ſtructura varia dein variam ventriculi & inteſtinorum actionem explicandam eſſe, Phyſiologi docent. Si itaque verum eſſet prius, tunicam eam, quae ab alia non niſi adhibita magna attentione ſeparari poteſt, pro tunica ſingulari habendam non eſſe, verum etiam erit poſterius, ventriculum ſcilicet atque inteſtina nullis ſingularibus & reſpectu ſtructurae a ſe inuicem diſtinctis gaudere tunicis, inſimulque exinde ſequeretur, nec ventriculo, nec inteſtinis eas adſignari posſe facultates, quae tamen a nemine Phyſiologorum partibus hisce, ob diuerſam ſuam membranaceam ſtructuram, denegantur.

§. IV.

Nemo vero in ſubtilioris anatomiae exercitio debite verſatus facile negabit, idem in ſeparandis ventriculi atque inteſtinorum tunicis adplicandum eſſe ſtudium, quod adhibere debet Anatomicus, tunicae Ruyſchianae a choroidea ſeparationem intendens. Adeoque etiam eodem iure tunica Ruyſchiana pro ſingulari quadam tunica habenda erit, vti tunicae ventriculi & inteſtinorum ceu tunicae peculiares conſiderantur. Quibus perpenſis ita argumentari liceat: Omne illud, cui character tunicae conſtans attribui poteſt, vera eſt tunica: atqui tunica Ruyſchiana charactere tunicae conſtanti gaudet: ergo tunicae nomine omnino inſigniri debet.

§. V.

Iam vero tunica noſtra nouiſſime detecta eo-

dem donata est charactere, quo alia quaeuis similis tunica insignita est: sistit enim expansionem membranaceam; adeoque summo etiam iure in classe tunicarum consideranda venit, & idcirco in numerum tunicarum recipiendam eam esse, existimo. Vbi enim fibrae, sint illae vel carneae, vel tendineae, vel nerueae, ita inter se inuicem iunguntur & explicantur, vt expansio inde oriatur membranacea variae figurae, ibi tunica adest. Posita itaque definitione tunicae, vlterius examinanda se sistit tunica mea.

§. VI.

Tunicam Ruyschianam superficiei tunicae choroideae internae adhaerere, machinae humanae examinatoribus cognitum satis est atque perspectum. Vti vero tunica haecce Ruyschiana tunicae choroideae laminam internam constituit, sic nostra tunica laminam choroideae externam praebet, ita, vt choroidea sit intermedia inter tunicam Ruyschianam & nostram tunicam. Occasionem autem, nouam hancce tunicam inueniendi, mihi praebuit examen anatomicum oculi equini, massa ceracea repleti. Quum enim exactiore partium eiusdem, & speciatim tunicae choroideae, separatione & praeparatione occuparer, en! in conspectum veniebat inuolucrum quoddam membranaceum, tunicam choroideam circumdans. Huius ergo inuolucri membranacei, ex fusco paululum nigricantis, separationem quum tentarem, praeter omnem spem negotium ex voto succedebat, ita, vt notabilem satis portionem huius tunicae, absque vlla tam ipsius

tunicae

tunicae dilaceratione, quam etiam choroideae proxime subiacentis, vel vasculorum sanguiferorum in choroidea contentorum & disseminatorum, laesione, separare & conseruare a fortuna mihi datum fuerit. Examinaui post haec oculum vitulinum, massa ceracea repletum, & ecce! idem oculo meo se ostendit phaenomenon, nimirum tunica mea, quoad maximam partem a tunica choroidea separanda, in eo quoque occurrebat. Quamuis autem haec ita se haberent in oculis brutorum, nullo tamen modo a structura hacce oculorum animalium brutorum ad structuram similem oculi machinae humanae concludere certissime potui, donec experientia anatomica de vera huius tunicae, in oculo quoque humano, existentia me erudiebat. Hoc equidem negare nolo, tunicam meam in oculo humano non tanto praeditam esse tono naturali, quanto in oculis animalium brutorum gaudet; interim tamen est & erit perpetuo tunica oculi peculiaris, eodem iure, vti in oculis brutorum.

§. VII.

Ad corroborandum vero hoc meum assertum, multum omnino facit, quod non vnicum modo, sed plures machinae humanae oculos examinare mihi obtigerit. In omnibus vero, ne vno quidem excepto, luculenter satis in conspectum veniebat tunica mea, ad hodiernum vsque diem incognita: quapropter de vera eiusdem existentia non est, vt vlterius dubitemus. Satis ergo abunde exinde patet, quantum a scopo illi aberrent, qui Zootomiam nullam plane opem, in cognoscenda & indaganda cor-

poris humani structura anatomica, vnquam ferre posse contendunt. Hoc quidem omnino certum est, varias in brutorum oeconomia animali partes longe aliter constructas atque fabricatas esse, ac in machina humana: exinde vero nondum sequitur, falsas ingenio humano induci ideas, si modo Zootomiam tanquam Anatomiam comparatiuam considerare placeret. Quis enim vnquam motum illum intestinorum peristalticum ad oculos clare satis demonstrare posset, nisi hoc in animalibus brutis susciperetur? Quis perpetui illius mobilis, cordis nimirum machinae, actionem atque motum rite intelligeret, nisi experimenta in viuis animalibus brutis suscepta eundem nobis demonstrassent: vt reliqua ex anatomia brutorum in nostram scientiam redundantia & sane haud vili pendenda commoda nunc praetermittam.

§. VIII.

Ast videamus iam, num & vsus aliqualis ex inuento nostro expectandus sit, nec ne? quod vt debite fiat, necesse omnino est, vt in tunicae huius naturam inquiramus. Perueſtigationem hancce institui semper coelo sereno, tam oculo nudo, quam optime armato, vbi semper, quantum quidem ego animaduertere potui, eandem tunica haecce habuit faciem, quam tunica villosa habet. Eodem enim gaudet colore similique fere consistentia, iisdemque villis seu inaequalitatibus, vti ventriculi atque intestinorum tunica villosa. Accedit insuper, quod innumera fere corpuscula, glandulis miliaribus minimis similia, in eadem conspicienda se se offerant:

quam

quam ob rem, pace Anatomicorum seculi nostri illustrissimorum, eandem *tunicam villoso-glandulosam* adpellare liceat.

§. IX.

Iam vero, ex sententia Physiologorum nostri aeui celeberrimorum, tunicae villosae officium in eo consistit, vt organon percolatorium chyli constituat. Et hoc in nostra quoque tunica ita fieri debebat, vt vascula sanguifera innumerabilia subtilissimaque, tunicam choroideam perreptantia, perpetuo nutrirentur & corroborarentur muco illo lubrico atque blando, quem vascula lymphatica tunicae meae perpetuo, roris instar subtilissimi, plorant, quo eo faciliori negotio secretio humoris aquei, ex sanguine arterioso tunicae choroideae, in tunica uvea, ceu organo secretorio huius liquoris, succedere possit. Ast, si qui sint, qui forte glandulas tunicae nostrae miliares reiicient, quum corpus glandulae simillimum non semper sit glandula, salua tamen manet assertio nostra, tunicam hancce tanquam tunicam villosam, adeoque vt talem tunicam, quae secretioni perficiendae apta est, considerandam semper esse, ex ratione iam adducta.

§. X.

Ratio vero Creatoris, cur tunicam istam oculorum villosam non pari modo, vti obseruamus in tunica villosa ventriculi & intestinorum, internam choroideae tunicam seu lamellam esse voluerit, fortasse in eo consistit, vt partim, vti iam diximus, nutritio vasculorum sanguiferorum tunicae choroideae eius

ope perficeretur, partim etiam quia non necesse erat, vt irroraretur tam tunicae choroideae lamina interna seu Ruyschiana, quam tunica retina, dum harum quaelibet proprio suo liquore blando lymphatico ac nerueo praedita est. Alia insuper summi Creatoris, respectu situs huius tunicae, ratio fortasse haec est, vt defenderetur insimul tunica choroidea, innumerabilibus vasculis subtilissimis sanguiferis praedita, a nimia compressione, sicque vasorum horum laesio & inflammatio auerteretur. Quodsi enim tunica choroidea immediatum cum sclerotica nexum haberet, facili sane negotio fieri posset, vt vascula illa subtilissima arteriosa choroideae, praesertim si a causa quadam vel externa, vel interna leuiori paululum intumescere inciperent, a sclerotica proxime adiacente, ceu tunica dura, non admodum elastica, vltra modum comprimerentur, & consequenter, ob statum inde ortum inflammatorium, tono suo naturali destituerentur. Hoc ergo ne fiat, tunica nostra mollioris consistentiae, & humore blando lymphatico semper humida, intercedit & prohibet.

§. XI.

Tunicam nostram prorsus alius esse naturae, ac proxime subiacens choroidea est, etiam exinde luculenter satis patet, quod, oculo massa ceracea repleto, in tunica hacce prorsus nulla vasa sanguifera repleta in conspectum veniunt, vnde suspicari licet, vascula, per tunicam hanc dispersa, non ad classem vasorum sanguiferorum referenda esse, sed potius vascula sic dicta lymphatica subtilissima constituere.

Negan-

Negandum quidem non est, fieri interdum casu aliquo fortuito, vel ob statum quendam vasorum praeternaturalem, vt massa ceracea in vascula etiam lymphatica penetret. Hoc vero nunquam a fortuna mihi datum fuit, sed quaedam tantum vascula sanguifera in tunica ista, & quidem oculo optime armato, detegere mihi licuit, quamuis non semel, sed multoties in arte vasa replendi occupatus fuerim; quapropter veritati magis respondet, quod vascula, in tunica nostra occurrentia, non nisi lymphatica sint vascula.

§. XII.

Haec sunt, quae de tunica oculorum nouissime detecta proferre atque exponere placuit. Vt autem machinae humanae scrutatoribus plenius satisfaciam, opportuniori inposterum tempore tunicam hancce figuris aeneis delineatam exhibiturum me esse, sanctissime promitto. Dabit fortasse postera dies adhuc quaedam inuento huic adiicienda, tam ratione structurae, quam ratione vsus tunicae iam commemoratae. Pro vlteriori autem confirmatione existentiae huius tunicae, testem oculatum publice excitare mihi licebit Virum excellentissimum & experientissimum, Dn. D. FASELIVM, Medicinae in celeberrima, quae Ienae floret, Academia Professorem ordinarium famigeratissimum, Anatomicumque exercitatissimum, Patronum ac Praeceptorem omni honoris cultu ad cineres vsque deuenerandum, praeter alios complures eruditos Viros, pluresque ex commilitonibus meis, quos silentio iam praetereo.

SECTIO

SECTIO II.

DE TVMORIBVS QVIBVSDAM SCIRRHOSIS PERFECTE RESOLVTIS.

§. I.

Scirrhum nil aliud esse, quam tumorem durum, perfecte indolentem, nunc maius, nunc minus spatium in partibus corporis humani solidis, praesertim glandulis, occupantem, omnes Chirurgorum nostris temporibus celeberrimorum vno quasi ore affirmant. Distinguunt tamen inter scirrhum, qui adhuc in fieri est, & scirrhum iam radicatum. In priori casu tumor quidem adest cum duritie coniunctus, attamen non omni sensatione, quamuis interdum vix percipiatur, expers, talesque tumores scirrhosi vtplurimum sanabiles & resolubiles adhuc sunt. In altero vero casu tumor notatur durus, omni elasticitate fibrarum, omnique sensatione penitus destitutus, qui plerumque nullam prorsus admittit medelam, siue illa per medicamenta externa, siue per interna suscipiatur, excepta illa, quae ope manuum & instrumentorum chirurgicorum instituitur, exstirpando scilicet plenarie totum scirrhosum concrementum.

§. II.

Docet experientia, dari morbos quosdam, tam internos, quam externos partium machinae humanae, qui mox in principio augentur ita, vt, nisi omnis

omnis adhibeatur induſtria, atque iudicium practicum probe ſubactum, maximum metuendum ſit periculum, machinaeque humanae deſtructio: alios iterum, qui lente feſtinant, & non niſi ſucceſſiue vel ſimplicem tantum partis cuiusdam actionem, vel omnes plane in oeconomia animali actiones perficiendas turbant aut plane tollunt. Ad alteram hanc claſſem pertinent tumores ſcirrhoſi, qui ſucceſſiue tantum corpus humanum afficiunt, nuncque ſexta, nunc ſeptima, vel etiam octaua demum ſeptimana, aut etiam vltra hunc terminum, in ſcirrhum ſtricte dictum degenerare ſolent, vti Chirurgorum principes annotarunt, vnde etiam in ſcirrho curando vel remouendo ad tempus durationis reſpiciendum omnino eſſe, ſponte ſequitur.

§. III.

Quod itaque talem tumorem ſcirrhoſum concernit, qui iamiam ſex vel ſeptem vel etiam octo menſes ſubſtitit, negare equidem haud volo, tumoris eiusmodi reſolutionem admodum difficilem eſſe: interim tamen tentandum adhuc erit, antequam ad exſtirpationem progrediamur, num forte adhibita legitima attentione debitaque prudentia reſolutio obtineri queat. Dici ſane vix poteſt, quam rebelles ſint eiusmodi tumores ſcirrhoſi, ita vt, niſi ad periodum criticam ſub ipſa eorundem curatione probe attendamus, omnem plane medelam reſpuant, quamuis interdum accidere ſoleat, vt ſponte, naturae beneficio, in tenera aeque ac iuuenili aetate, rariſſime tamen in adultioribus, eiusmodi ſcirrhi

discutiantur. Critica vero periodus in scirrho resolubili forte adhuc resoluendo ea mihi est, vbi, omnibus administrandis debite iam iam administratis, in corpore scirrhi ea apparent signa, ex quibus ad resolutionem futuram concludere possumus. Sunt autem eiusmodi signa partim tumoris, sub externo attactu, apparens conditio mollior, partim etiam ipsius peripheriae augmentum insimul in conspectum veniens. Hoc enim toties, quoties scirrhos resoluere annisus sum, obseruaui, intumescentiam talem scirrhosam, exhibitis idoneis & conuenientibus remediis, successiue molliorem quidem factam fuisse, ast simul etiam nunc in longitudine, nunc in latitudine auctam fuisse. Et meo quidem pariter ac aliorum virorum, in scientia chirurgica celeberrimorum, iudicio, vix alia eligenda erit in scirrho resoluendo methodus, quam nunc exponenda. Si enim scirrhi nondum inueterati resolutionem intendimus & molimur, praecedere omnino debet vasculorum, corpus scirrhi constituentium, iamque induratorum, emollitio, ad actionem vasorum obstructorum deprauatam restituendam, circulumque fluidi, in vasis ipsis plus minus impeditum, resuscitandum, alias frustraneus sane erit omnis labor. Quum vero de scirrho nondum inueterato sermo nobis fuerit, necesse omnino videtur, declarare, quidnam sit scirrhus inueteratus? Nil aliud mihi est scirrhus inueteratus, quam tumor non solum indolens, sed & perfecte induratus. Adeoque distinguendum haud immerito erit inter tumorem indolentem ex parte saltem durum, & inter

ter tumorem, tam indolentem, quam etiam perfecte induratum. Non enim omnis tumor indolens perfecte durus deprehenditur, adeoque & ſcirrhus plane irreſolubilis in ſenſu ſtrictiori adpellari nequit.

§. IV.

Obſtructionis illius, ex qua enaſcitur eiusmodi tumor ſcirrhoſus, cauſas varias & multiplices hic vberius exponere & recenſere, breuitati ſtudens, nolo, eſſet quoque labor iam iam ſufficienter exantlatus, quum ſingulas easdem Pathologia exhibeat. Nec opus eſſe videtur, tam prolixum exhibere medicamentorum, quae ad ſcopum hunc obtinendum aliquid conferre valent, catalogum, iis certe, qui in rebus practicis verſantur, ſatis ſuperque notum. Sufficiat, antequam ſpeciales notatuque dignos quosdam caſus aegrotorum, tali modo affectorum, debite expoſitos tradam, vel tribus ſaltem verbis meminiſſe, me in ſcirrhis reſolubilibus diſcutiendis, cum euphoria ſubiectorum, eiusmodi rebelli morbo laborantium, talia in auxilium vocaſſe medicamina, quae claſſi ſaponaceorum in materia medica adnumerantur. Sunt enim ſaponacea talia medicamenta, quae ob particulas ſuas conſtitutiuas, ſcilicet ſalino-oleoſas intime mixtas, ſingulari prorſus viſcidos atque tenaces humores incidendi virtute gaudent, modo circumſpecte, iuſto tempore, iuſtaque in doſi afflictis exhibeantur, vnde etiam in reſoluendo viſcido primarum viarum aliorumque viſcerum egregias exſerunt virtutes. Imo tantae inſunt medicamentis ſaponaceis vires, vt immortalis ille & in

morbis grauissimis maxime rebellibus curatuque difficilioribus optime versatus BOERHAAVIVS pro certo statueret, non dari scirrhositatem tam viscerum, quam etiam aliarum partium, quae adhibitis caute saponaceis, tam internis, quam externis, si modo vires vitales adhuc superstites sint, debite tandem resolui & tolli non posset.

§. V.

Ex ordine autem eiusmodi saponaceorum & resoluentium optime inprimis pro hoc scopo conducunt *herbae* Abrotan. Absynth. Aneth. Beccabung. Beton. Card. bened. Cent. min. Cichor. hortens. Cochlear. Fumar. Foenicul. Heder. terrestr. Hyssop. Leuistic. Maioran. Meliss. Matricar. Nasturt. aquat. Piperit. Rorismar. Rut. Sabin. Tarax. Salu. Saponar. Scord. Saturei. Serpill. Thym. Tanacet. Trifol. fibrin. Vrtic. & Veronicae; *flores* Arnicae Bohem. Centaur. min. Chamaemel. rom. & vulg. Croci. Lilior. conuall. Lupul. Melilot. Spic. Stoechad. arabic. Tanacet. Salu. & Lauendulae; *radices* Acori veri, Angelic. Aristol. rot. Carlin. Caryophyllat. Cyper. rot. Enul. Pimpin. alb. Pyrethri, Leuist. Taraxaci, Valerian. Vincetox. Squill. & Peucedani, de qua vltima in transitu quasi notamus, quod haec radix paulo accuratiori examine chemico-pharmaceutico haud indigna sit, ob virtutes specificas quasdam in eadem fortasse contentas. Ex classe *seminum* optimae inprimis notae mihi esse videntur semina Apii, Aneth. Cumin. Dauc. Erysim. Pastinac. & bacc. Lauri. *Lignis* hic in vsum speciatim vocandis adnumero

mero Lign. Guaiac. Saſſafr. & Iuniperinum, eorundemque cortices, quibus addere adhuc lubet *cortices* Aurant. & Citri. Eximie etiam hic conducunt *Gummata reſinoſa* varia, e.g. ammoniacum, in aceto ſquillitico ſolutum & inſpiſſatum, Galbanum, Maſtiche, Myrrha, Succinum, & Terebinth. cocta. Ex tanto ſimplicium numero ea ſemper ſelegi, quae ad hunc vel illum obtinendum ſcopum optime conuenire mihi videbantur, & ita quidem, vt modo decoctum, modo eſſentiam ſiue tincturam concentratam, mediante ſpiritu vini rectificatiſſimo, modo etiam elixirium, ex herbarum & radicum extractis, ope aquarum deſtillatarum, itemque vini gallici, hiſpanici, aut maluatici, addito ſale alcalino, parauerim. In vſum etiam trahere placuit ſpiritus abſtractitios, aquas deſtillatas, ſales volatiles, pilulas, olea ſtillatitia, elaeoſacchara, cereuiſias medicatas, vina medicata, balnea, cataplasmata aliaque ex his, pro ſymptomatum tunc praeſentium diuerſitate, concinnata, quibus adieci nitrum, tartarum tartariſatum, ſal Abſynthii, Card. bened. aliaque huius commatis, non neglectis emulſionibus, & Tinctura antimonii ſaponacea. Vno verbo omnia ea, quae ſub nomine humectantium, reſoluentium, abſtergentium atque euacuantium veniunt, ſalutarem ad talia remouenda mala produxiſſe effectum obſeruaui.

§. VI.

Miſſis his, ad hiſtoricam ex propoſito meo redire cogor tractationem. Diximus iam ſupra, tumores ſcirrhoſos ſex, ſeptem vel octo menſium, difficillime iterum reſolui poſſe. Hic vero in ſcenam

producere liceat miseros varios, nunc per breue, nunc etiam longius temporis spatium tumoribus scirrhosis olim laborantes, & tamen feliciter iterum curatos. Primus eorum est iuuenis viginti annorum, tumore eiusmodi scirrhoso iam vltra dimidium annum afflictus. Accedebat hic ad me, incurius plane & dubius, an futuris temporibus periculum inde metuendum sit, nec ne. Pars affecta erat glandula inguinalis, ita iam tumefacta, vt gallinaceum magnitudine superaret ouum, iisdemque perfecte insignita characteribus, qui scirrho solemnes esse solent; quapropter etiam nullam amplius sensationem ingratam atque dolorosam, excepto incommodo, quod magnitudo huius tumoris efficiebat, aeger inde percipiebat. Compluribus hic in vsum vocatis remediis, alias praestantissimis, tam internis, quam externis, praemissaque venaesectione, ne minimam tamen tumoris discussionem obseruare potui. Quapropter ad medicamenta alia, saponacea scilicet, ceu ad sacram anchoram, confugiebam, quae per tres septimanas rite adhibita, tam sub vsu interno, quam externo, coniunctis simul diluentibus copiosius haustis, interpositisque nitrosis & leniter laxantibus, exoptatissimus excipiebat effectus plenariaque scirrhi discussio.

§. VII.

Breui post vir quidam triginta annorum, testiculi scirrhositate laborans, consilium a me petiit. Aeger hicce malo commemorato iam per octo menses afflictus erat, ita vt dimidia testiculi pars,

&

& praeſertim epididymis, prorſus indolens & lapidis fere inſtar indurata eſſet. Quoniam vero dimidia teſticuli pars ſana adhuc eſſe videbatur, hinc eo maiori cum fiducia medicamenta ſaponacea, aetati atque temperamento ſuo accommodata, tam pro vſu interno, quam externo ordinaui, ex quorum frequentiori atque continuato vſu, coniunctis temperantibus & abſorbentibus, maſſa ſanguinea ita repurgata, viſcidumque in vaſculis obſtructis tenaciter haerens ita diſcuſſum fuit, vt, tribus praeter propter ſeptimanis elapſis, tonus organi huius laeſi perfecte reſtauratus, fluidorumque circulus ex voto reſtitutus fuerit.

§. VIII.

In alio viginti ſex annorum ſubiecto glandularum maxillarium talis occurrebat tumor ſcirrhoſus, vt & ipſum integumentum commune, glandulas hasce tegens, ſcirrhoſitate induratum, firmiterque glandulis induratis accretum deprehenderetur. Poſt frequentiorem autem vſum medicamentorum ſaponaceorum, partim emollientium, partim reſoluentium, externe in forma cataplasmatis calide impoſitorum, tumor hicce, quamuis primis diebus intumeſcere magis inceperit, intra octo dierum ſpatium magis magisque indies decreſcere incipiebat. Exinde ergo luculenter ſatis patet, medicamenta ſaponacea, pro vario obtinendo ſcopo nunc magis, nunc minus volatilia atque reſinoſa, non ſolum glandularum, ſed & aliarum partium cutanearum atque carnearum ſcirrhoſitates optime emendare & tollere, ſi modo cuiuslibet ſubiecti temperamento

atque

atque vitae generi accommodentur, tam ratione modi exhibendi, quam respectu formae & methodi praeparandi.

§. IX.

Vir quidam, duo supra tringinta annorum, in regione inguinali per tredecim iamiam septimanas omnium ferme glandularum inguinalium patiebatur intumescentiam scirrhosam, quacum, ob virus venereum in corpore copiose praesens, coniuncta erant vlcera mali moris, totam glandem omnemque superficiem praeputii internam occupantia, foetidumque ichorosum odorem spargentia. Superueniebant ani condylomata, glandularum colli pariter ac uvulae intumescentia, vlcera faucium atque tonsillarum, scabiesque venerea, per totam abdominis atque lumborum praesertim regionem, itemque circa articulationes cubiti cum humero, tibiaeque cum femore, atque in suris, foedissimo spectaculo sese diffundens. Sub his ergo circumstantiis methodus medendi omnino eligenda erat talis, qua cito aeque ac tuto sanitas recuperari posset. Remedia mercurialia praesertim egregiae admodum virtutis esse in morbis talibus pertinacissimis debellandis, scholae Medicorum hodie celeberrimorum adhuc docent. Vbi vero viscera qualicunque labe iam adfecta sunt, accedente insuper nimia obesitate, ibi cane & angue peius eadem euitanda esse, omnes Medicorum prudentiorum suadent. Talis autem conditionis noster erat aeger, vtpote malo hypochondriaco saepissime vexatus: Quapropter talia eligenda erant remedia,

quae

quae virtute ſingulari & ſecura, humores viſcidos & acres incidendi, reſoluendi atque corrigendi, gaudent. Sunt vero haec ſaponacea nunc magis, nunc minus ſulphurea, quibuscum coniungere ſuaſi diluentia, modo calide, modo ſubfrigide, paulo copioſius haurienda. Alimenta vero quod attinet, per totum curationis decurſum aſſumenda, aegro meo abſtinentiam ab omnibus carnibus commendaui, earumque in locum victum magis ex vegetabilibus conſtantem praeſcripſi, nempe ex radicibus Siſari, Scorzonerae, Petroſelini, herbisque Fumariae, Cichorei, Portulacae, Endiuiae, Spinachiae, Chaerefolii, Hederae terreſtris, Cochleariae, Naſturtii, Valerianellae pratenſis, &c. recenter contuſis, & partim cum iuſculo carnium in maſſam pultiformem redactis, & ita loco aliorum olerum aſſumendis, partim etiam ſuccum plantarum modo dictarum recens expreſſum, & cum iuſculo carnium mediante leni ebullitione commixtum, in certa quadam quantitate quotidie bibendum ordinaui, quibus omnibus ſubiuncta ſimul fuit Venaeſectio ſecunda vice repetita, & pediluuia ſaponacea, tertio ſemper die repetenda, interpoſito ſexto quolibet die vſu ſalis aperientis Sedlizenſis. Hacce ratione intra ſex ſeptimanarum ſpatium bono cum Deo aegrum meum perfecte reſtitutum vidi.

§. X.

Non minus quoque notatu dignus erat caſus ſequens: Vir iuuenis, viginti annorum, teſticuli in latere dextro tumorem ſentiebat horrendae magni-

tudinis, ita, vt decies maior adparuerit testiculus, quam in statu naturali solet esse, insimulque coniuncta erat gonorrhoea maligna. In angustiis hisce ad Chirurgum quendam confugiebat artis suae non satis peritum, qui vnguentis primo emollientibus per integros quatuordecim dies, postmodum vero frequentiori adplicatione vnguenti mercurialis tumorem compescere intendebat, nescius, quod veneni instar in personis arthritide laborantibus, qualis aeger hicce erat, mercurialia tam interne, quam externe commendata, fugienda semper sint. Tumor ergo indies ex inconuenienti adplicatione talium medicamentorum, per integras tres septimanas continuata, neglectis simul medicamentis internis idoneis, magis magisque indurescere incipiebat, accedentibus doloribus spasmodico-arthriticis vehementissimis & fere intolerabilibus, ita, vt inde quasi in furorem actus quandoque videretur aeger. In auxilium tandem ab illo vocatus in statu hocce tristissimo, statim mercurialia reieci, eorumque in locum substitui antispasmodica, coniunctis diluentibus & demulcentibus saponaceis, & interpositis euacuantibus, praetereaque venaesectionem, si opus esset, tertia vice repetendam, ordinaui. Externe vero cataplasmata emollientia, cum resoluentibus saponaceis coniuncta, calideque semper & in vna serie per integras quadraginta octo horas adplicanda, situmque in lecto planum horizontalem eligendum suasi, quibus ita administratis dolores spasmodici successiue mirum in modum conquiescebant, & tumor, iam lapidis instar indu-

induratus, emolliebatur, imo intra ſpatium quatuordecim dierum ex voto perfecte reſoluebatur. Ad vlcera vero vrethrae mundificanda atque conſolidanda, & gonorrhoeam inde natam compeſcendam, pro iniectione elegi decoctum ligni Saſſafras ſaturatum, & cum quarta parte Eſſentiae myrrhae tam aquoſae, quam ſpirituoſae, itemque Eſſentiae Succini ſine alcali paratae remixtum, illudque omni trihorio calide iniiciendum ſuaſi. Quo facto, obſeruatis ab aegro ſimul ſtrictiſſime regulis diaeteticis, elapſis tandem quatuor ſeptimanis priſtinam ex voto recuperauit ſanitatem.

§. XI.

Tandem etiam ſilentio haud praetereundum eſt, quantum balnea & vapores calidi, aceti pariter ac ſpiritus vini rectificatiſſimi, in obſtructionibus partium pertinaciſſimis reſerandis valeant, coniuncto inprimis vſu oleorum ſtillatitiorum balſamicorum. Noti enim mihi ſunt varii caſus talium aegrotantium, qui circa articulationem tibiae & fibulae cum aſtragalo, itemque circa articulationes oſſium tarſi inter ſe, tumoribus haud leuibus induratis vexabantur, indeque ſine inſigni incommodo incedere haud poterant. Acceſſerunt inſuper certis quibusdam temporibus ſenſationes ingratae in locis affectis, quae tamen incommoda, vna cum tumoribus, ope medicamentorum modo dictorum feliciſſime ſublata fuere.

§. XII.

§. XII.

Haec sunt praecipua illa, quae inpraesentiarum, angustis nimium temporis limitibus circumscriptus, beneuoli Lectoris diiudicationi submittere potui. Affirmare quidem nolo, quod sola illa methodus hactenus exposita hisce morbis repellendis semper sufficere possit. Dantur enim omnino, nec etiam inposterum deerunt casus, exstirpationem partis laesae plenariam efflagitantes, praesertim, si durities maxima atque acrimonia irritans, cancro fores pandens, simul adsit. Interim tamen nullus dubito, quin aequi rerum arbitri mihi asserenti haud sint refragaturi, certis sub conditionibus methodum hancce prolatam &, nisi me omnia fallunt, omnis fere periculi expertem, reliquis esse anteponendam, exoptatissimumque remediis hisce atque conatibus saepius responsurum esse

FINEM.

CORRIGENDA.

Pag. 15. lin. 5. pro *sed* leg. *vt.*
ibid. lin. 7. pro *licuit* leg. *licuerit.*